



# NOVA POSONIENSIS.

ANNO CHRISTI MDCC XXI.

DIE X. SEPTEMBRIS.



*Arifis, d. d. 15. Aug.*

Dux Aurelianensis die II. huius in ædibus Thuillerianis pernoctavit, ac Oratoribus principum exterorum, potesta-

tem sui conveniendi dedit. Rex autem Christianissimus, hesternæ die in viridarium Thuillerianum, prima vice deambulandi causa, prodiit. Confluxerat ibi magna multitudo hominum, regem ovando gratulandoque accipientium. Die crastina in æde B. Virginis Deiparæ, publicæ supplicationi, ob recuperatam sanitatem instituendæ, interfuturus pietatemque suam probaturus dicitur. Nudius tertius cursor *Mantua Carpetanorum* huc accessit, formulasque secum adtulit, quibus Rex Hi-

spaniæ, omni, tum in Galliæ regnum, tum in provincias, a Cæsare sibi ademptas, iuri suo renuntiat. Quibus publicorum regni redituum cura comissa est, quotidie in consilium veniunt. Cum nouissime de dissoluendis regis debitis egissent, rationem adinuenisse dicuntur, quæ si valuerit, nonnisi 32. chiliades chiliadum dissoluendæ restabunt. Munera, quæ legato turcico, eiusque filio, regis nomine sunt oblata, pretium 60000. librarum Gallicarum æquare ferunt. Sed effigiem regis adamantibus pretiosissimis distinctam ei haud esse traditam, eo quod Alcorani legibus, quarum turcæ sunt obseruantissimi, nulli ex ea gente similes imagines secum habere licet. Cæsaroduno nuntiatur, virum quendam, marmora expolientem, nomine Printzium, artem inuenisse,

nisse, qua vitra cuiuscunque generis emolliri, ac flexibilia reddi possint, seruato nihilominus nitore suo cum peluciditate. Proximis hisce diebus, vir aliquis, nummularium se simulans, in custodiam datus est, reperti apud eum sunt 1700. nummi aurei geminati, sed adulterini: iam & *Insulas*\* litteræ missæ sunt, vt socius eius, cum quo ei litterarum commercium intercedit, comprehendatur. Smirna accepimus, *Tabarifium*, Persiæ urbem, si *Aspabamum* excipias, amplissimam, vehementissimo terræ motu concussam absorptamque esse, vt vix quarta domorum pars manserit integra.

\* (Ryffel) *Flandria vrbs ditionis Gallicæ.*

*Alia, a. d. 22. Aug.* Fama hic est, Magnum Magistrum Ordinis Iohannitici, mandata dedisse omnibus ordinis eius equitibus, vt loco nigræ, quam adhuc in cruce sua gerebant, rubri simul ac albi coloris ligula imposterum vtantur. Rex Christianissimus a. d. 20. huius in secessum Muetensem, se recepit, latus eius stipabant, Comes Clermontius atque Villaregius, cum quibus postprandium, venatione instituta, cœlo vesperscente rursus in urbem rediit. Redeuntem, non solum plebs, quæ numerosissima confluerat, votiuis acclamationibus prosecuta est, sed & centuriæ aliquot, quæ regiam tuentur, Gallicæ Helveticæque, tormenta sua manuarialia displodentes exceperunt.

*Londini, a. d. 15. Aug.* Hesternæ die, tantus erat plebis concursus in porticu Vestmonasteriensis palatii, vt ex utroque sexu homines amplius 700. numerarentur, qui vna cum liberis suis eo confluerant, vt querelas suas curiæ inferiori proponerent, quod & fecerunt libello supplici communi nomine

exhibito, cuius hæc erat sententia: „Oramus suppliciter, ne nobis, ius petentibus, deesse velitis, qui pecunias nostras haud contulissimus in ærarium, nisi curiæ proceres vniuersi fidem suam interposuissent. Ceterum vociferationes querulantis huiusce plebis, clamoribus seditiosorum haud erant absimiles. Quam ob causam curia inferior, his, qui turbatores pacis publicæ obseruare debent, negotium dedit, vt plebem hanc tumultuantem abigerent, atque singulos domos suas ire iuberent. Prælectum ergo semel iterumque hominibus istis, regis ea de re mandatum, adiectæque minæ seueriores, quod nisi prius tumultuari desierint, domosque suas redierint, quam tertia vice mandatum regis prælegatur, fore vt omnes perduellium loco habeantur. Nudius tertius homines otiosi quamplurimi, qui adhuc adseruabantur in custodia, nauibus sunt impositi, ad Americanas colonias deuehendi. Dublino, quæ metropolis est Hybernæ, nuntiatur, partem Sarcinarum Ducis Grafftonii, Proregis Hybernæ eodem iam accessisse.

*Alia, a. d. 19. Aug.* Curia inferior libellum quendam, in quo ea continentur, quæ de adstruendæ denuo gentis Anglicanæ fidei publicæ modo transacta sunt, examinatum, paullo diligentius, in chartam puriorem describendum curauit, vt is a rege, simul cum aliis libellis, publice confirmari queat.

*Neapoli, a. d. 19. Aug.* Pecuniæ, quas Cæsar nobis imperavit, nec non milites in supplementa legionum, quæ in Hungaria sunt, mittendi, breui cogentur, Tormenta ceterumque apparatus bellicum, ex Sicilia ad nos transportatum, rursus in eas arces distributum iri aiunt, ex quibus ante fuerat sumptus.

*Madritti, a. d. 5. Aug.* Hesternæ die

Rex

Rex noster vna cum Aulicis omnibus, Balsaimum se contulit, vt ibi venatione semet oblectaret. *Marchio Leedensis*, numerum militum exauctorandorum regi propediem traditurus est. Sed *Marchio Delos Balbados*, qui Proregis in Sicilia dignitatem tenuerat, superiore die mercurii vita hic apud nos functus est. Legatus Anglicus consilia sæpe confert cum Præside consilii quod res Indicas moderatur. Nuntius Gadi- bus missus docuit, appulsam eo esse a. d. 29. Iulii. nauim, ex Caracosa meridionalis Americæ prouincia missam, Septensibus litteris docemur tantam in illis partibus esse sterilitatem vt barbari panem ex amygdalis parare cogantur.

*Genua*, a. d. 16. Augusti. Superiori solis die naues duæ huc accesserunt, altera Gallorum *Zara*, quæ Dalmatiæ vrbs est, in eiusdem nominis comitatu, redux; Anglorum altera, carnibus tum fumo duratis tum sale maceratis onusta ex Anglia veniens.

*Roma*, a. d. 16. Aug. Die solis *Eminentissimi Cardinales*, *Aquauia* atque *Belluga*, Pontificem maximum adierunt, hic enim, cum adhuc esset in Hispania libellos aliquos aduersus *Alberonium* ediderat. Pontifex inter alia id resciscere voluit, an illa 12000. *Vallensium*, eidem *Alberonio*, rege delegante ex Episcopatu *Malaccæ*, fuerint soluta, quibus ad redimendam *mitram* indiguerat.

*Florentia*, a. d. 16. Aug. Nudius abhinc quartus hora 18. Princeps hæreditarius *Mutinensis* vna cum coniuge sua, *mutina* in urbem nostram accesserat; hestern vero die *Pistoiam* versus iter suum direxit, *Iuccam* balnei causa profecturus.

*Liburni*, a. d. 15. Aug. Telone *Martio* nuntiatum nobis est, morbos, qui adhuc ibi grassabantur, tantum non om-

nes in febrim tertianam esse commutatos. *Arelati*, Præfectum vrbs, cum quatuor aliis, qui in magistratu erant, mortuum esse, fama ad nos est perlata. Qui *Massiliæ* summam rerum administrant, domos peste vacuefactas, non prius, quam Octobri Mense fumigandas atque purgandas curabunt. Proxime præterlapso trimestri, opificum aliusque generis hominum circiter millia sex, huc se habitatum venire velle sponderunt.

*Amstelodami*, a. d. 20. Aug. Societatis orientalis Præsides, lætissimum acceperunt nuntium, naues videlicet 22. ex partibus versus orientem sitis, ad *Texelliam* aliosque portus appulsas esse, cum omnis generis mercibus, pro quibus in ipsa India, 9811112. nostros exponere oportuerit, quinque alias naues ad bonæ spei promotorum remansisse, propediem adfuturas; quin plures etiam breui expectari; nauium igitur, quæ hoc anno iam ex Indis feliciter accesserunt, numerantur 35.

*Hagæ Comitum*, a. d. 24. Aug. Vir nobilissimus *Meyndersbagenius* *Borussiæ* regis orator, nudius abhinc tertius cum proceribus nostris diu fuit in colloquio; sed qua de re cum eis egerit, nondum palam factum est. Cursor *Londino* missus hac transit, versus septentrionem profectus.

*Cameraci*, a. d. 16. Aug. Legatus Hispanicus, Comes *Esteuanus*, vt testaretur, quam gratus ei fuerit, de restituta regis Galliarum valetudine, nuntius, amplissimas instituit epulas, quibus Comitem *Moruilleum* aliosque legatos excepit; plebi vero dolia vini duo defundenda curauit. Fecit postea idem & Comes *Moruilleus*.

*Hamburgi*, a. d. 20. Aug. *Antonius Dangerfeldius*, orator *Poloniæ* regis, nu-

nuper admodum vitam apud nos cum morte commutavit.

*Ex Holsatia, a. d. 20. Aug.* Literæ Holmenses docent, cursores, a legatis Russicis missum, novas regi senatuique Suecico attulisse conditiones, atque has quidem Ducis Holsatiæ commodis maxime fauentes. Ceterum omnes expectare anxie, an non classarii Russici irruptionem novam sint facturi, simul ac induciarum præterierit dies.

*Alia, a. d. 22. Aug.* Triremes Russorum omnes ad scopulos Finnoniæ convenisse Holmia nuntiatur, hinc vereri aliquos, ne vel Calmariam, vel Caroli Coronam adoriantur; sed credibile magis videtur aliis, id agere Russos, ut Sueci, hac ratione metu perculsi, ad pacem componendam facilius adduci possint. E contra iam & Sueciam Classem in altum exiisse certum est, patebit itaque brevi, an alterutra pars alteram hostiliter sit adgressura.

*Hassnia, a. d. 19. Aug.* Vicarius classis præfectus *Billeus*, proximis diebus ex Liunia redux factus, protinus Regem, qui nunc in Iulia moratur, secutus est. Eodem & Bothmarius regis magnæ Britanniæ legatus commigravit. Diebus hisce proximis complures naues onerariæ, in quibus comeatus erat, ad classem Anglicam proficiscentes observauimus. Ceterum ex Suecia nuntiatur, pacem omnino iam esse compositam, iamque mandata ministris aulicisque suis dedisse Russorum Imperatorem ut Duci Holsatiæ titulum *regiæ celsitudinis* in posterum tribuant. Qui ex Suecia atque Scania huc accedunt, omnes idem adfirmant. Neque dubitandum amplius est de matrimonio Holsatiæ Ducis, cum filia Russorum magni Ducis ineundo.

*Varsouia, a. d. 27. Aug.* *Camencia* scribitur, turcas iam duos pontes in Istro flumine fecisse, quin & tertium breui paratum iri. A. d. 7. huius vehementissimum terræ motum, qui horæ quadrantem integrum durabat, in eadem vrbe fuisse obseruatum. Fama fert, tartaros, qui adhuc turcarum Imperatori parebant, Magno Moscouiæ Duci semet sponte subiecisse. *Iagielnicia* nunciant, quatuor centurias polonicas a tartaris imprudenter oppressas, homines plurimos cæsos, equos vero omnes abactos esse. Summus castrorum regni Præfectus, militum centurias complures, quæ eos persequerentur, misit; quantum eæ sint effecturæ dies nos docebit.

*Szakolcza, a. d. 24. Aug.* Hodie post meridiem, cum publicus perageretur cultus, subitaneum ac longe vehementissimum ortum est incendium, quo domus 60. cum omni supellectile, in cineres sunt redactæ. Damnum, quod exinde passi sunt incolæ miserrimi multis æstimatur millibus.

*Vienna, a. d. 2. Septemb.* *Excellent. Comes Franciscus Ferdinandus Kinskius*, munere legati Cæsarei extra ordinem Romæ perfunctus, nudius tertius ex Italia redux factus, postridie de rebus ibi gestis Imperatori coram exposuit.

*Alia, a. d. 6. Sept.* Idem Comes Kinskius, Augustam quoque conueniendi facultatem nudius abhinc quartus habuit. Diebus hisce proximis Episcopus *Passauensis*, qui in urbem nostram omnibus ignotus accesserat, ab Imperatore in colloquium singulare vocatus fuit. Nunc iam iter ad Episcopatum suum, qui in Bauariæ Ducatu situs est, comparat. Hesternæ die Imperator ceruos venatum exierat.